

ad secundam trepidationem quæ decimæ attribuitur spheræ. Nam caput cancri nonæ spheræ per superiorem seu septemtrionalem sui parui circuli medietatē mouebitur iuxta signorum ordinem in austrina vero medietate contra signorū successionē. In sectionibus deniq; eclipticæ decimæ spheræ & parui sui circuli contrariū subiicimus. Nam eedem sectiones in septemtrionali parui sui circuli medietate mutantur contra signiferi successionem, In meridionali vero medietate iuxta signorū ordinem. Præterea cum prima trepidatio ab septemtrione in austrū descendit, secunda trepidatio ab austro in septemtrionē ascendit & econtra. Liquet deniq; qd caput capricorni nonæ spheræ super suo paruo circulo, motum habet contrarium ei quem cancri caput eiusdem nonæ spheræ habet. Nam capite eiusdem cancri in boreali sui parui circuli medietate motu iuxta signiferi successionem, caput capricorni eiusdem nonæ spheræ mutabitur per medietatem sui parui circuli austrinam & contra. Par deniq; ratio est sectionū eclipticæ decimæ spheræ suiq; parui circuli, quæ quidem sectiones fiunt circa initia cancri eiusdem eclipticæ, & cancri primi mobilis, ad sectiones eiusdem eclipticæ decimæ spheræ paruiq; circuli iuxta principia capricorni decimæ spheræ & capricorni primi mobilis. Patet itaq; theorica secundæ trepidationis eclipticæ decimæ spheræ, & qd se contraria ratione habeat ad trepidationem primam quæ nonæ tribuitur spheræ, quod hucusq; decuit enarrasse.

PROPOSITIO XXV.

Trepidationem secundam quæ decimæ spheræ accommodat ex obseruatione Ptolemæi, & ex huius ætatis considerationib; in vno die numerare, & ex consequenti eiusdem trepidationis canones seu tabulas idoneas constituere. Pro hoc itaq; proposito conficiendo. In primis subiicere arbitror qd tempore considerationis Ptolemæi idest a natiuitate domini bisextilibus annis 149. & diebus liii. completis, maximā eclipticæ primi mobilis ab æquatore declinationem tantam fuisse, quantam idem Ptolemæus obseruauit idest graduum xxiii. primorū minorū li. secundorū xx. Deinde subiiciendum esse, qd ex præcedēti hys